Konarski Stanislaus.
Carmina posthuma

r. 1778.


Z KSIĄG


WEYSSENHOFFA
C
W

STANISLAI KONARSKI
E SCHOLIS PIIS
CARMINA POSTHUMA.

VARSAVIÆ

Typis S. R. M. & Reipublicæ
in Collegio *Schol: Piar:* MDCCLXXVIII.

IN SOLENNI DIE

INAUGURATIONIS

SERENNISSIMI & POTENTISSIMI

STANISLAI AUGUSTI

REGIS POLONIÆ MAGNI DUCIS

LITHVANIÆ &c:

Cum *Corona* Regia, *Libertatis* colloquium

DIgna fide referam: Vates nam talia, rapti
Extra se Phæbi munere, sæpe vident.
Sacra Coronati vidi Conclavia Regis,
Et mensam, super hac & Diadema nitens.

Mox venerabilior mihi visa est una Dearum :
(Majestate oris rebar adesse Deam)
Lauro tecta Caput, Chlamys aurea , & aurea vestis.
Arcu armata humeros , enseque cincta latus.
Ingens frontem Adamas ornat ; pretiosius illo
Utraque nil , & nil India majus habet :
Hunc circum gemmis rutilans nitet undique nomen ;
Libertas : nostræ suave decus Patriæ.
Regali , primum Dea , figit dulcia, Serto,
Ex omni teneris basia parte labris.
Sublatamque manu sic est affata Coronam!
(Si memini, multum est , reddere verba Deœ)
Saxonas ante duos, Bojos * (ait illa) petisti ,
Pannonas & Gallos atque Palæmonios. * *

Ven-

---

* Bohemos. * * Lithuani à Palæmone.

Venceslaus enim, Lodoix, Magnusque Jagello,
Atque Jagellonum stirpe cadente, Tibi,
Valesius, bellax Stephanus, tum Vaza, duoque
Otthonides, * * * Patriis plus placuere procis.
Ast hodie, quæ sunt mea gaudia? scilicet aptum,
Teque Domi dignum, Te reperisse Caput!
Quid juvit, Dominos quæsisse per extera Regna?
Propria præ nostro queîs placet Aula Throno?
Quos tædet natale solum liquisse suosque!
Nos a Sejanis * * * * qui voluere regi?
Ne tamen immemorem, minus aût me vivere gratam,
Forte peregrinis Regibus esse putes,
Incepi, crevique sub his: oblivia nulla
Illorum rapient munera, nulla dies.

---

* * * Saxones, Otthonum nepotes.
* * * * Minister malus Tyberii Imp:

Ast in perniciem me tanto a tempore labi,
Et Patrias leges nonne ruisse vides?
Juribus atque meis inimica *Licentia*, bellum
Quam mihi funestum perpetuumque gerit?
Pulsa Themis! versat patrios Audacia vecors
Fasces, susque ferox omnia deque movet.
Relligio, diræ accusata superstitionis,
Temnitur. Impietas læta peana canit.
Perfidiæ, cædes, perjuria inulta, rapinæ,
Hoc e fonte fluunt, nulla thorique fides.
Nil prisci moris: pietas, candorque, pudorque,
Exulat. Innocuos & pudet esse probos.
Plus sed adhuc mihi quod dolet, est id, nomine semper
Dum Libertatis se tegit omne scelus.
Insultat, dirosque ciet vicinia risus:
Ast ego muta, silens, nec nisi tempta gemo.

Nul-

Nulla malis tantis medicina modusque salutis :
Nullus, qui mæstæ consulat, aut det opem.
Nam sine consilio ter denis jam prope lustris,
Reges me & Cives deseruêre mei.
Prorsus ad hanc tristem me sceptra extranea sortem
Prorsus ad hunc miserum me pepulêre statum.
Ah! adventitiis Dominis, an amabitur unquam
Libera gens? nequeunt meque, meosque pati,
Legis inassueti jussis, sua jussa supremas
Leges, invitis Civibus esse volunt.
Ingentes foro jam Tibi, felicissima, grates,
Lætor & ad Piasti Te rediisse Caput.
In me, cui & ego, ac in libera colla meorum,
Protinus Imperium sceptraque trado libens.

Ex-

Expertam, scio me, majorem ullius amorem:
Quippe sinu lusit, crevit & Ille meo.
Illeque, me melius, mea vulnera novit, ab illo
Est speranda meis certa medela malis.
Accipe jam brevibus: spes omnes colloco, Rege
In *Sapiente* meas, ac in *amante* mei.
Hic, (olim ut roseo Thaumantias ore * * * * *) Corona
Reddidit intentæ talia verba Deæ:
Cum jam Delicio populi, cum gentis Amori,
Me, (Jove supremo Teque jubente) dedi;
Quam Tua grata mihi fiducia! Principe, quod spem
In Sapiente loces, ac in amante Tui.
Libertas invisa malis est Regibus: illam
Non odere, ipsi qui nisi digni odio.

Li-

* * * * * *Iris apud, Ovid.*

Libertas dilecta bonis est Regibus: ulli
Plus, quam qui est populi dignus amore sui.
Macte animò? Princeps, cinxi cui tempora, verus
Nempe Tuus sanguis, vera Tua est soboles:
Quique fuit Civis, Patriæ qui Filius, idem
E Cive, & Nato, Rex, Patriæque Pater.
Ille Tuis certe cum sit nutritus in ulnis,
Deque Tua recipit Regia sceptra manu,
Diliget instar Te, caræque bonæque Parentis,
Ac Tecum curas dividet Imperii.
Et decus, & priscum (nil sæva licentia terret)
Restituet robur legibus Ille Tuis.
Libertas pulchræ hic dedit oscula mille Coronæ.
Reclusæ subito sed patuere fores.
Et Dea mox, & scena statim disparuit omnis:
Ac

Ac Vates, hæsit solus & attonitus.
O fortunati nimium, jam plaudite Cives !
Propitii lapsis Dî meliora dabunt !
Majestatem inter Libertatemque, cohæret
Tam bene ! quod faustum, quod sit utrique bonum !

DIE

DIE NATALI

SERENNISSIMI

STANISLAI AUGUSTI

REGIS POL: M. D. L. D. N. C.

DE FORTUNA.

Anno 1768. 17. Januarij.

QUis Reges doceat regnandi callidus artem ?
Augusta versent quomodo sceptra manu ?
Nemo ! præterquam Fortuna adversa. Lycæo ,
Pæcilique , schola hæc , Regibus est melior.
Heroes hic fata probant ; exercita virtus
Tendat , ut ad summos proficiatque gradus.

Nam

Nam nequeunt magnis, possunt mediocribus addi,
Hi, queîs læta fluunt omnia, Principibus.
Hic discunt, quanti est hominum sapientia, contra
Vim Fati, absque pia Relligionis ope.
Hic, quas dent animo vires adversa, docentur;
Qualis certando firmat athleta humeros:
Qualis ventorum furiis pressa undique, figit
Quercus radices firmius alta suas.
Sorsque *Coronæ* eadem: nam *tanto firmius* hæret,
Arctius emeritum stringere jussa Caput,
Quanto majores priùs est experta labores.
Dîs superis nihil est gratius, hac acie,
Dîs nihil est visu jucundius, ut bonus est Vir

For-

Fortunæ luctans; judice Philosopho: *
Jam quid! in hac Reges ipsos spectare palæstra?
O quantum referunt laudis & inde boni!
Hic discunt, an sint homines? mortalibus îsdem
Æque subiecti casibus, atque malis.
Quisque sit Ille? cui solium, diademaque debent,
Cujus & imperio stant, titubantque Throni.
Hic discunt, veros inter discrimen amicos,
Et male venalem, fictitiamque fidem.
Nosse suos, quanti est! Ast infelicia tantum
Ostendunt & dant tempora, nosse suos.
Optime Rex! hodie, quis non ardentibus implet
Nempe aures votis auguriisque Tuas?
Cunctorum per & ora sonant Tua resque, salusque,
Glo-

---

* Seneca.

Gloria, prosperitas, vitaque Nestorea.
Sed nitidum solido discernere jam bene nôsti:
Scis & ubi pugnat dissona lingua animo.
Attulit id lucri Tibi præsens alea rerum,
Quod sors ferre Tibi prospera non potuit.
Jam sine fraude potes, (faustum quod sit Tibi) servi
Qui sunt Fortunæ, noscere, quive Tui.

STA-

STANISLAO AUGUSTO

REGI POLONIÆ, MAGNO DUCI

LITHUANIÆ

SACRO SUÆ MAJESTATIS

NOMINI DIE, 1769.

DE UTRAQUE FORTUNA.

A*Dversa* cum Fortuna, velut hoste feroci,
Si certamen atrox, palmaque difficilis,
Ridenti blandæque tamen certare, pericli
Plus. Manet hæc summos leurea rara Viros.

Cur-

Curriculo vitæ toto pugnatur utrique,
Præsidibus pugnæ, judicibusque Diis.
Jupiter Heroas solio nam spectat ab alto,
Divinaque tenet pendula serta manu.
Nil præstabilius, nihil est iucundius illi,
Quam dum Fortunæ congreditur Sapiens;
Gaudet, prostratam victori cedere Divam,
Iratæque teri sub pede colla Deæ.
Quam tamen ingratum illi est, persæpe videre,
Quem *mala* non vicit, succubuisse *bonæ*.
Ardua virtutem exercet, quam prospera frangit:
Utrâque immotus qui stetit, ille Vir est.
Qui melius TE, *Auguste*, vices utriusque probavit?
Et placidæ, & diræ, cûi ita nota manus?
E Cive ad solium ferri, diademate cingi

Tem-

Tempora, quid potuit faustius esse homini?
Cum magnis opibus, cessit cui summa potestas,
Summus cessit honos, & decus imperii,
Dignius invidiâ, quid aut felicius illo?
Ast quanta fuit hic vi Tibi Mentis, opus?
Relligio, Virtus, præses Sapientia rerum,
Ponere fortunæ Te docuêre modum.
Sic Princeps in Te Civem non sustulit; ambo:
Rex, Civisque, uno discubuêre throno,
Regem Te, sceptrum, sed prisca modestia Civem
Ostendêre, Titis Aurelijsque parem.
Dîs alii se se æquiparant; humanius ut nil,
Nil sit amabilius Te, STANISLAE, studes.
Æquales, olim quos natus es inter, amore

Ut Patriæ superes, unica cura tua
est.
Prosperitas in Te nihil immutavit; ut
ut sit
Corruptrix nostri prosperitas generis.
Ergoné de me mens hæc incorrupta
triumphet?
Heroum victrix * exitialis, ait:
Indignata igitur Dea, non potuisse su-
peibis
Donis maiorem vincere regno ani-
mum,
Tempestatem Erebo motam tibi suscitat
imo,
Armatas facibus fundit & Eumenides;
Ferro ignique ferunt, quæ pagis, urbi-
bus, agris,
Horrida Avernales damna queunt Fu-
riæ.
Omnia præterea comes his Discordia
miscet,
(Monstrum Tisiphone sævius angui-
fera)
Le-

* Prospera Fortuna.

Legibus eversis, omnem Fideique, thronique,
Ac Libertatis subruere ausa basim.
Ista gemis spectans AUGUSTE, tuumque dolorem
Nulla suo superat pressa dolore parens.
Sic pius Æneas pereuntis funera Troiæ,
Romuleam cladem, sicque Camille doles.
Campus hic est AUGUSTE Tuæ virtutis: hic almæ,
Est animæ Lydius, Consiliique lapis.
Dicere fas, raros certe è mortalibus, ut Te
REX bone, vi tanta cæca Dea impetiit,
Invictum sed pectus ad hoc quot inania tela
Fregit? & in forti pectore franget adhuc?
Rupe velut celsa, sic summo è culmine mentis,
Despicis, insani sævit ut ira maris.
Te tumidi assiliant fluctus, te fulmina circum

Undique densa ruant, impavidum ferient.
Non Tua, sed Patriæ Patri tibi, publica damna,
Et mala, quæ populus sentit acerba, dolent.
Devotum pro gente libens & ponere promptus
(Ne placeas solus Tu Tibi Corde) Caput.
Cætera, fortunæ rabiem contemnis & ictus,
Conatusque leves debilis invidiæ.
Macte animo! Jucunda Jovi spectacula præbes.
Præsagum Cœlo Nomen & omen habes:
STANISLAUS erit *Stans Laus*, *Stans Gloria* * semper,
Fortunæ nisus, invidiæque cadent.

---

* STANISLAUS è Patrio idiomate significat *Stans Gloria*, vel *Stet gloria.*

CARMEN

AD

STANISLAUM AUGUSTUM

POLONIÆ REGEM, MAGNUM

DUCEM LITHVANIÆ

DOMINUM CLEMENTISSIMUM.

DIE NATALI SUÆ MAJESTATIS SACRO.

17. Januarij 1770.

SAcra TUÆ, quæ lux ordîtur tempora, vitæ,
Hæc eadem nobis, o! REX, ingentia de Te

Deque TUÆ Genti, à Superis Dîs sorte statuta
Fata aperit. Pelago reducis dum spicula Phœbi,
Ac matutini pellunt dum luminis ictus
Atrificem somni, segnemque soporiferumque
Morphea: jam vigili, haud noctis simulacra, nec ullæ
Illusêre umbræ, nec inania somnia Vati;
Sed mentem sublime rapi, sistique supremi
Ante Jovis solium se sensit; imagine rerum
Nondum visarum attonitus, lætusque pavensque,
Tam nova spectandi, quanta illum quæve cupido
Incessit? sed enim frustra. Res unica totum
Obruit, & subito sensus influxit in omnes;
Nam stetit una re stupefactus & integer hæsit,

Cum mox inciderit Summo sic Pallada fatam
Nempe Jovi: Pater Omnipotens hominumque Deûmque!
Jussu nonne Tuo dederat primordia vitæ
Iste dies, Illi Tua cui decreta potentem
Sarmatiæ tribuêre Thronum? Quas Rege creato hoc
Spes cepêre hilares Populi? sceptrique sub Ejus
Auspiciis, fore se felices atque beatos,
Ante Tuas cecinêre, Tuis & in auribus, aras.
Providus ô quantis ornâras dotibus Illum!
Omnia quæ splendent in Eo, non sunt TUA dona?
Relligio, pietas, rerum sâpientia rectrix,
Mirum quantûm humana simul divinaque callens
Mens immensa! & consilii prudentia præses,
Natura duce plenum justi pectus & æqui,
Et

Et Regum illa decus reliquis clementia majus,
Culmine & in celso tam rara modestia, magnus
Laudis amor veræ, magnorum gloria mater
Fonsque operum, Populi cor amans, memor atque paterna
Cura, utriusque animus fortunæ victor, ad omnem
Fortis & impavidus casum, temnensque pericli,
Cujus in AUGUSTO si non TUA munera sunt hæc?
His decorare soles Reges virtutibus illos,
Imperio quorum caras TIBI subdere Gentes
Vis, & principibus justis, sapientibus, æquis,
Fortibus, atque piis quoties vis Regna beare.
Quid jam quæso rei est, extremam Te tot ab annis
Dis sumulare? ultro potius permittere, cladem
Re-

Regis & antiqui Populi ? Tibi thura litantis ?
Et Tua tot sæclis altaria rite colentis?
In præceps ruere omnia, sus deque omnia verti
Aspicis, & nondum pietate moveris ? An ipsas,
Sentiat ut spinas pondusque immane Coronæ,
Jussisti Regem ? placidæ nil pacis & otî ?
Nilque voluptatis ? quam aliis diademata portant.
Navis, quam ille Tuis jussis nutuque gubernat.,
Fluctibûs horrendis ac tempestatibûs acta
Hattenus, & jam jam prope naufraga, littore nunquam
Sistet pacato ? Nosti, Pater, ut mihi cordi
Sit, cujus dudum ad Sceptrum formanda Juventus,
In nostro & nutrita sinu, nostroque labore.

Filia! (namque animum Vates arrexit & aures,
Quæ responsa Dei? si quæ solatia, si quæ
Spes manet) arridens respondit Jupiter, olli:
Filia! Sarmatici TIBI ne discrimina Regis,
Nec Regni, nimium doleant. Est Imperiis, est
Omnibus isthæc sors communis & alea. Facto
Circuitu, desperatis prosperrima quævis
Succedunt. Iterumque vices. Miscebitur imis
Quod summum est, toties sed adhuc cadet, atque resurget.
Hæc Reges æque Populosque subire necesse est.
Si fortunatis semper forte esse liceret,
Impia mortales caperent oblivia Nostrî.
Numina, mos hominum, securis temnere rebus.
In Templa, ærumnæ cogunt cum Principe Vulgus
Den-

Densum humeris. Quæ deinde piacula debet
Sarmaticum ultrici Themidi genus? Hanc ego Gentem,
(Omnes deme pios qui sint, morisque vetusti)
Quæ scatet ignota majoribus impietate,
Sollicitamque parum jam Relligionis avitæ,
Crebra ullis, quæ non cohibet perjuria, pænis,
In res jacta palam tolerat convicia sacras,
Judicibus plenam, quos odi, prorsus iniquis,
Atque gravem nimium Plebi miserisque colonis,
Moribus infectam peregrinis, ut cui casti
Jura fidesque thori prope pulsa: hanc inquam ego Gentem,
Cara licet mihi sit, non una strage piandam,
Dum sese emendet meliori reddita frugi,

In-

Immotus statui. Norit jam denique Gens hæc,
Prodigiis me nolle novis sua Jura tueri,
Servandisque suis à me miracula rebus
Ne frustra expectet. Potius sibi conscia, quantum
Imprudenter agat, cùm nil sibi consululit ipsa,
Magnos consilii cætus cùm improvida rumpit,
Unius cùm animæ venalis voce, salutem,
Et libertatem Patriæ, legesque sacratas
Funditus everti sinit, inconsultaque certum
Currit in exitium; propriæ sibi conscia culpæ
Advertat potius, quo peccat: & integra si vult,
Esseque si felix, si libera, si diuturna,
Omnem in consiliis fortunam ponat & armis.

O-

Objiciet melius tum, juncta cum Jove dextra,
Arma armis, certas & vires viribus hostis.
Castigata quidem sapiet, propriisque ruinis
Docta, salutiferis melius stata tempora per me
Consiliis solers concorsque impendet, & ipsa
Prospiciet sibi, quo stet longo, & floreat ævo
Integra, tuta, potens, sapienter libera, felix.
Quod jam verò meâ refert, oratur & à me:
Imponam finemque malis, metamque labori
Ocius, ac speret mortalis, nescius horæ,
Anxius, incertus, metuens semperque futuri.
At mihi dilectum quod spectat, Filia, Regem:
Heroem volo, præ reliquis mortalibus Illum.

Ar-

Ardua res. Constat, nihil esse in Principe magni,
Si quem perpetuo rebus gaudere secundis
Forte sinam, humanis exemptum casibus ultro
Tranquillumque. Deest illi virtutis arena.
Attollunt ad Semideos adversa. Mihi si
Istius ingens vis animi non nota fuisset,
Haud Illum tantis sivissem hucusque procellis
Impeti. At alta quidem, medio vel in æquoris æstu
Stans rupes, animo minus est immobilis isto.
Relligio & *Ratio*, vires sunt Ejus, opemque
Alternis afferre solent. Placet Illius alma
Pax mihi mentis, & est animæ certissima testis
Innocuæ. Placet hic tacitus, Sceptrique Thronique,

(Si

(Si Patriæ res exposcat, sit & utile Genti)
Contemptus, mentis summæ, laus summa decusque.
Totum se Patriæ, populique litare saluti,
Quid memorabilius, quid majus Regia virtus
Ostendit terris ? Meriti hoc est culmen apexque.
Fixum est: regnabit, fortunâ major utrâque,
Maior & invidiâ. Dispersis nubibûs atris,
Clarior emerget geminoque illustrior Orbi;
Tumque Pater Patriæ, tum libertatis Alumnus
Noscetur, semperque latens in Principe Civis.
Hæc post dicta Jovis, Vates quibus undique totus
Lætitiis incessit! & hæc audita bonorum
Omina Fatorum, quam plura audire negata,

Exa-

Exacuêre sitim? sed enim disparuit aulæ
Cœlestis facies, Votis nisi, speque relictis.

ODE

ODE

AD

STANISLAUM AUGUSTUM

REGEM POLONIÆ M. D. L.

Ex occasione oblati ab Illo Autori Numismatis, ex una parte effigiem Ejus, ex altera vero libros, cum inscriptione: *Sapere Auso*, præferentis.

Vanam esse e Numismatum & Statuarum honore superbiam. STANISLAO AUGUSTO Clementissimo Regi debitæ ab Autore referuntur gratiæ, quod immeritum singulari beneficentia ornet hominem, & in numero suorum collocet.

FAstidiosam mene superbiam
Fas est, & altos sumere spiritus?

C Si

Si auri, vel argenti, vel æris
Lemniacîs liquefacta flammîs (1)
Ac in rotundum lamina ductilis,
Portare nostram cogitur icona?
Si ferre Gypsum, vel jubetur
Nostra lapis Ligurinus ora? (2)
Ferat! sed quid vaniùs aspici?
Ad nos relabi propria Cæsarum? (3)
Bovi invident adhucne ranæ? (4)
O hominum tumor! appetentum
Frustra pusillis, tam male quæ quadrent!
An fultus alta pumilio (5) basi,
Tytanas (6) æquet? Parva magnis
Contuleris, venient minora.

Sub-

[1] Lemnos insula maris Ægei, in qua colebatur Vulcanus artifex elegantissimorum è diversis metallis operum.

[2] Liguria, hodie Genuensis tractus, unde candidissima marmora asportabantur.

[3] Numismata, Statuæ, antiquitus solis Heroibus ac Cæsaribus erant propria.

[4] Nota Æsopi fabula de rana & bove.

[5] Pumilio idem ac pygmæus, seu nanus, homo parvæ ac humilis staturæ.

[6] Gigantes.

Subinde nanus gratior in suos
Contractus artus. Si sapis, & supra
Te nil, & extra quære. Nosci
Nec nimium, tibi notus ipsi
Contende. Prudens, qui sibi sufficit,
Beatius est nil animô, suâ
Qui sorte contentus. Docere
Quid graviùs, meliùsve possint
Cæleste Verum, Philosophiaque?
Hac arte tutus, temnere cautior
Majora me suevi, nec ambî
Terribili invidiosa vulgo.
Tranquillus imos præterit, at caput
Paulo levantes e mediocribus,
Mox garrula loquacitate
Exagitans, sale spargit acri.
Cælatæ in auro, vel nive pulchrius
Candente petra, Numen imaginis,
Multum decori, sæpe sed plus
Invidiæ popularis auget.
Quid ipsa jam sit res? meditor: nihil;
Firmum nihil; si marmoreis quoque,
Ut ut durent, senecta, &
Mors Populis venit, ac avara
Ætas Colossos rodit aheneos.
Illustrium quot dudum hominum, satæ

Corinthiis, Grajis, Latinis
Porticibus, periere sylvæ?
Superba signîs innumerîs Rhodos (7)
Et mole solis, viscera montium
Secare, rimariquè aduncô
Regna Pluti (8) fuit ausa ferrô,
Æs omne tollens, marmor & omne, queîs
Ars mira vitam, quam potuit, dedit
Saxis, effingens metallis
Ora hominum, eripuitque denti,
Ac vi malignæ temporis invidi,
Ducesque, Regesque immeritos mori,
Virosque, quos secrevit ingens
E populo, superisque virtus
Dîs miscuit, quos laus sapientiæ
Sublimis, & mens Civibus utilis
Exemit è vulgo; salusquè,
Quos Patriæ, integritasque Legum
De-

---

(7) Rhodus Asiæ Insula, metallis & marmoribus omnium abundantissima, æque ac sculptoribus, quorum unus Chares Rhodium Solis colossum septem miraculis mundi adjecit.

(8) Plutus Rex apud veteres subterranearum fodinarum.

Defensa, gratis tradere posteris
Jussit, merentes denique gloria,
Quos ipsa, nesciri futuris
Impediit, vetuitque sæclîs.
His, sculptor udo pulvere sordidus,
Audaxque Vates, & levis in suis
Promisit immortalitatem
Iconicis (9) statuis, & aris.
Horum tamen vestigia jam quota
Cernes? & horam si qua manent ad hanc,
Nomen sed ignotum, sed æram,
Sed titulos rapuit vetustas.
Rectenè jam mortalibus omnibus
A rite sectis rupibus? æreque
Fuso? vel imprimis petita
Perpetuæ monimenta famæ?
Senis (10) at illud prodigium additum
Orbis vetusti prodigiis, ubi est?
Illi ærei, saxeique Patres?
Idve nemus statuarum inane?

[9] Iconicum pictura, aut sculptura.
[10] Sex Orbis miraculis septimum Rhodius colossus adjectum.

Labentis ævi nonne eadem manet
Sors, & Charetes ? & Phydias ? Brevis
Dies opus demolietur
Anxie *Brune* (11) tuum, meosque
vultus
Jactus procaci forte silex manu,
Naso minorem me puerilibus
Exponet, aut luscum, cachinnis,
Aut mutila patienter aure.
Oblata quod jam nomina diluit
Letheus amnis ? Tempus edax notas
Arrosit Heroes, & olim
Trunca silent simulacra priscos.
Hæc optet ut vult, qui monumentô e-
get;
Meum supremo proximus ut dies (12)
Nomen vel æterna sepultum
Prætereat taciturnitate,
Quid

---

[11] *Mr Le Brun* præstantissimus Varsaviæ Statuarius Regius simulacrum Autoris jussu Regis fecerat.

[12] Supremus dies est vitæ ultimus dies; proximus supremo est dies à morte crastinus.

Quid quæso surdi pulveris interest ?
Humum perosæ mentis (13) adhuc minus ;
Erepta quæ terris, & astris
Altior, ac Jove plena summo,
Humana Cæli è vertice despicit,
Ridens laborum, queis nimium brevem,
Et frivolam celebritatem
Frivola gens hominum procatur.
Non me corusci dona Numismatis,
Ne sola Magni gratia Principis
Oblectat, accensum fideli
Ingenuæque probæque turbæ.
Honos, decusque munera Regia
In immerentem prodiga, sunt meis
Cantanda Musis, & decenter
Vel tenui celebranda plectro.
Utrâque fortunâ edomita, mihi
Auguste major! Rex sapiens! Tui
Me non inornatum relinqui,
Quæ bonitas, pietasque cordis ?

Bre-

---

[13] Perosus, exosus; mens hominis corpore soluta terram odisse & despicere videtur.

Brevi Tuæ me munificentiæ
Si forsan instans eripit Atropos,
Sed incitamenti, & caloris
Quantum! avidæ decorum Juventæ?
Virtutis ut cos præmia sunt, ita
Torpentis igens calcar inertiæ,
Hi pacis, artibusque belli
Sunt stimuli. Tua dona, Princeps,
Excepta grati pectoris intimo
Sensu, calentem plus animum incitant,
Ad devovendum vel caducæ
Si quid adhuc superest senectæ,
Quousque Regi, & vivere Civibus,
Jam jam sororum (14) deficientia
(Plus septies denis ab annis)
Fila sinunt, hodieve, crasvé?
Secanda duris forficibus; Velint
Ut fata, rumpant stamina! Sed libet
Mori, mei Titi, meique
Aurelii (15) memorem, piumque.
Su-

---

[14] Parcarum.
[15] Titus & M. Aurelius innumeras suis veteribus amicis Statuas erexerunt.

Suspiriîs, tum quæ precor ultimîs,
Et Patriæ, Rex! & Tibi? publicis
Hæc nempe, ceu olor canorus,
Adjiciam mea vota votis.
Felicitatem Gentis, & Imperii
Possis ad illum, quem cupis apicem
Efferre! Libertasque, Teque
Relligio Duce vim resumant;
Virtusque tempestatibus arduis
Jactata, Regum Te melioribus
Accenseat: quonamque plus vel
Hercule pertuleris laborum,
Augebit hoc plus posteritas Tuum
Non desituris Nomen honoribus.
Ad gloriæ metam perennis
Molle Viris, iter est negatum.
Beata posthac otia Dî Tibi,
Æterna Dî convivia præparent;
Regis, Patris, Civisqué, sanctis
Muneribûs sapienter uso.
Regni, Tuusque, o faxit id! Indiges!
Cujus beatos ad Cineres cremat
Thûs, in triumphali Vavelo (16)
Arx veteris sacra Carroduni. (17)
IN

---

[16] D. Stanislaus in monte Vavelo.
[17] Carrodunum, Ptolomæo Cracovia.

IN NUPTIAS IGNATII COMITIS POTOCKI ET ELISABETHÆ PRINCIPIS LUBOMIRSKA FILIÆ SUPREMI REGNI MARESCHALCI.

1772.

Musæ hærent dubiæ inter læta Nuptiarum festa, & vim doloris acerbam. Dolor lætiora canentes, suis super calamitate publica luctibus interrumpit. Quædam de Principibus generatim.

O-

ODE

I.

Nam neque chorda sonum reddit, quem vult manus & mens. *Horat:*

O! quid hærentes agimus Camenæ?
Provocat lætas hymenæus odas:
Ni sonos dulces neget obstinatum
Reddere plectrum.
Immemor, surdusque dolor, parantis
Læta, perturbat numeros Thaliæ:
Reddit accentus *neque chorda quos vult*
Et manus, *& mens.*
Præpes extingui, celer interire,
Proprii jam jam tumulo sepulchri
Imminens, certæ male destinata
Natio cladi,
Sævius diro trucis hostis ictu,
Sese amicorum manibus perire,
Jura calcari sua, Gentiumque
Natio lugens,
Inclyti Potocciadæ trophæa
Dum videt jungi Lubomirianis,

Ne.

Nescit, an plaudat? mediumne luctu
Impleat orbem?
Gnara defensam Patriæ salutem
Stirpe ab Heroum toties utraque,
Optat hinc dignas Atavis Avisque
Anxia proles:
Horret hinc diræ data servituti
Colla, devotam seriem nepotum
Nasciturorum Dominis superbis
Mancipiorum.
O! Patrum sanguis meliore dignus
Sorte nascendi! Sacre Gentis o flos!
A Diis *o*! *Par* similis Juventæ
Tam bene lectum!
Quidquid & virtus dia, vis & artis
Gnava partiri potuit per omnes,
Enitet summum simul utriusque,
Par, decus in Te.
E bonis veris animi ingenîque,
Atque Pandoræ locuplete gaza,
Exque naturæ, Superûmque donis,
Nil Tibi demptum.
Martiæ gentis genius, Vir armis
Natus, ad clavam bene militaris
Imperî quon dam manus apta demes-
suraque lauros;
Pa-

Pace, libertatis alumnus, olim
Patrii sanctum caput, & Senatûs;
Præses, ac magni rigidusque Consus
Areopagi:
Ista (ni rupta styge jus ruisset
Omne) servato ordine, libera Re-
Publicâ, sunt sunt Tua prorsus ad
quæ es
Munera natus.
Hæc locum si non habitura? certè
Vir domi justus, probus, ac honesti
Audies cultor, columen sacrorum &
Moris aviti;
Audies & Philosophus, præalta
Luce sed Veri Sapientiæque,
Spiritus temnes tumidos prophanæ
Philosophiæ.
Nil & in celsa minus enitescit
Mente Consortis: pietas, fidesque;
Altior fortunâ animusque semper
Major utrâque,
Legibus morum placide severus,
Consilî prudens, penetransque causæ,
Cautus errores & opiniones
Temnere sexûs.

Ut

Ut chori primum decus innocentis,
Norma nuptarum pariter futura:
Conjugis, Matris, Dominæque callens
Officiorum.
Tale *Par*, quod cor, quod opes, quod
ætas,
Jungit æqualis, similesque mores,
Qualium spem dat Tibi liberorum
Lechia felix!
Nam vel è nido generosiore
Provolant quales aquilæ? vel olim
Surculos quales bona planta, tamque
Nobilis edit?
Vivite in longam melioris ævi
Spem: diu Vobis, genitisque Vestris
Forte, *felici Patria*, licebit,
Quod precor, uti.

I I.

Dolor multa tibi meus aspera debet.
Propert.

Patriæ felicis inane nomen
Perculit Musas: digitique torpent,
Plec-

Plectra rumpuntur, lachrymæ pererrant
Ora, genasque.

Occidit! liber populusque fortis!
Occidit! belloque Virisque clarum,
Cum bono Gentis Patre, Cive caro,
Regeque, Regnum!

Muta Libertas ad inusitatos
Compedes horret. Stupefacta mutant
Templa mystas: Relligio vetustis
Pellitur aris.

Principi votam, Patriæque, Cives
Prorsus ejurare fidem jubentur,
Atquè perjura temerare tacta Altaria dextrâ.

Vis ruit Legum, penitus ruente
Jure supremo. Titulos, opesque
Perdit insons Nobilitas, ab alto
Culmine præceps.

Posteris miram, memorabilemque
Posteris cladem! nisi *Fœderatis*
Debitam *priscis*: sine lite, bello,
Hosteque nullô.

Ho-

Hosticum nam quid metui Polonis (1)
Rebus, à Magno potuit Borusso?
Vos Sigismundi Jagelloniosque,
Provoco manes!
Austriæ toto Domus orbe clara!
Sarmatas, & Pannoniam, Tuique
Imperî sedem, eripuisse Thraci?
Hoccine crimen?
Nos quis accuset? periisse spreta
Illa, nos inter, Petre Teque Magne!
Addita & nuper nova, tot vetustis,
Fædera pactis?
Ergo vertendi omnia susque deque
Unde jus? Gentem velut execratam
Tollitis? quæ jam ratio ruinæ,
Exitiique? -
Natio discors? ita; vos perennem
Subditis flammam. *Ciet atque miscet*
Sæpe vicinos? & ovis lupo sic
Miscuit undas.
Æmulam gentem (*ratio vetat*) *num*
Quis sinat priscas reparare vires?
Re-

(1) Jagellones magnis beneficiis, & fœderibus, Domum Brandeburgicam Poloniæ amicam reddere studuerunt.

Rectius ! Vobis vetat id cupido
Trux alieni.
Rege sub forti , cui non vel olim ,
Vis foret tanti metuenda regni ?
Hostibus ? juste : bene cara veris
Semper amicis.
Justa cum desit , pudor est , inanes ,
Risum & Europæ faciles movere , âut
Erutas prisci tenebris ab ævi
Texere causas.
Sic Viennâ , Petropoli , venusto
Sic Berolino foret emigrandum ,
Si reviviscent meliora Vestris
Jura priorum :
Vestra contra nos ut iniqua ! tantum
Copiis , Castris , legionibusque
Fulta ; quid justum est , ubi jus in armis ?
Sarmatis ora ,
Cauta gens , nullique nocens : at ejus
Forsan in fatis erat , innocentem ,
Imperî terni sociis sub armis
Succubituram.
Natio qualis ? populusque qualis ?
Confici qui , non nisi maximorum

Viribus junctis potuit, trium vi
Imperiorum.

Eheu! *æternum nihil est: cadet quod*
Surgit, & consurget adhuc, cadetque.
Cuncta, tempestas eademque, sorsque
Regna minatur.

Tam gravem & tetram quis hymen procellam
Pellet? aut lætas revocabit horas?
Quid spei dent? quæ cieant coacti
Gaudia cantus?

Eccquod hic faustum canat omen augur?
Quin & obliti thalamos facesque
Cypriæ, damnet quis acerba justi
Sensa doloris?

An novis decretum ab Heris? sit ut sons
Criminis? qui flet Patriam cadentem?
Culpa! mortales miseros dolens Heraclite, si fles?

III.

III.

Quid enim? nisi vota supersunt?
Ovid.

Perditis si spes tamen ulla rebus
Diva, Te spectat, Domus Austriorum,
A suo casu meritam levandi
Gloria Gentem.
Hos Tibris de Te, Sequanæque ripæ
Nuntios optant, & Iber, tuusque
Belga, Germanus, Batavi, Britanni
Orbes revulsi.
Quam parum lucri & Tibi Roxolane
Strage de nostra? magis esset è re,
Imperî major decor, obruto suc-
currere Regno.
Lodoix, Alfredeque, Ferdinande (2)
Luce cælesti penetrate sacra,
In Tronis Vestris hodie potentum,
Pectora Regum!

---

[2] Galliæ, Angliæ, & Hispaniæ optimi Regum., ac virtute celeberrimi.

Nil iis, nil plus fore gloriosum,
Quam piam, genti prope desituræ,
Liberæ, injusteque perire jussæ
Tendere dextram.
Semper an tantum necis & ruinæ
Regibus causas tribuemus? O! non
Hoc iis à Dîs data regna, non hoc
Fine coronæ.
Dira paupertas, populique luctus,
Lachrymæ, cædes, gemitus, cruorque
An jocus sunt? deliciæne Vestræ
Sceptra tenentûm?
Quid fames auri sacra? quid nefastus
Ambitus? Purgate proindè monstrîs
His tronos. Tædet populi vocari, &
Esse Parentes?
Optimi Regum teneris, piisque
Matribus certant, prior est & illis
Civis unius potiorque regnô
Vita salusque.
Si secus Vobis lubet? atque ridet
Fortioris jus? spoliate priscis
Juribus terras. Sed & audietis
Jure, quod estis.
Eheu! infelix hominum genus sub
Rege, qui Princeps malus & tyrannus
Ne-

Negligit dici, neque Regis horret
Nomen iniqui!
Quo sed ausæ Pierides? amaro
Si dolor vult indocilis replere
Festa singultu? vel acuta rumpit
Fila? Tacete.